

НЕ СЛУБИЛИ



COBISS ©

Murphy, Kanie
rojoof

Литинска ристанка за виз. фед.

Место и год. издања

Напредак 2327

704

1

Матгелена Мандић
ГРАДСКА БИБЛИОТЕКА
РАДОЈЕ ДОМАНОВИЋ
ДЕСКОВАЦ
Сисо. Нова
Воскресни завод

ЛАТИНСКА ЧИТАНКА

ЗА VI РАЗРЕД РЕАЛНИХ ГИМНАЗИЈА

ср.

ТРЕЋЕ ПЕРАЂЕНО ИЗДАЊЕ

199
372 887 1-82(075.3)

Саставио
ИЛИЈА МАРИЧИЋ
професор

Овај уџбеник по саслушању Просветног одбора
С.бр. 463 од 25 августа 1941 године одобрен је
Одлуком г. Министра просвете IV бр. 5555 од 17
септембра 1941 год. за употребу у средњим
школама. Ово одобрење важи до краја 1941/1942
школске године.

НАРОДНА БИБЛИОТЕКА

ГРАДСКА БИБЛИОТЕКА

23.458

Струка

37

ИЗДАЊЕ СВЕСЛОВЕНСКЕ КЊИЖАРЕ НИКОЛЕ ЖИВКОВИЋА
БЕОГРАД — ПОЕНКАРЕОВА 36

Штампарија „П л а н е т а“ — Добрачина 55, Београд

І ДЕО

РЕЧЕНИЦЕ

НЕПРАВИЛНОСТИ У ДЕКЛИНАЦИЈИ

1

Substantiva defectiva и abundantia

① Vi vincitur vis, virtute opprimitur audacia. ② Caesar natu minor erat quam Cicero. ③ Senatus decrevit, ut comitiis curiatis, iussu populi Camillus dictator diceretur. ④ Haec Leonidae ducis ante pugnam in Thermopylis verba fuerunt: Perge animo forti, Lacedaemonii; hodie fortasse apud infēros cenabimus. ⑤ Titus, amor et deliciae genēris humani, cum Britanico fratre paribus disciplinis institutus est. ⑥ Bello Numantino Micipsa populo Romano equitum atque peditum auxilia misit. ⑦ Hostes carros suos et impedimenta reliquerunt seque in montem receperunt. ⑧ Cimon Lacedaemonem sua sponte profectus est. ⑨ Horatius duumvirum iudicio damnatus, ad populum provocavit. 10. Vis vim vi repellit. 11. Tantālus apud infēros siti cruciabatur, quod consilia deorum prodiderat. 12. Sulla quattuor milia inermium civium interfecit, in quibus magnus numerus erat iuvēnum et senum. 13. Iugurtha senatus (или senati) decreta neglexerat. 14. Gallorum principes totius Galliae concilium in diem certam indixerant. 15. Lacedaemonii sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserant. 16. Exercitus dictatori coronam auream libram pondō decrevit. 17. Cicero pro domo sua disertam orationem e suggestu habuit. 18. Falso iudicant illi, qui splendida supellectile, veste magnifica, auro et argento gloriantur. 19. Multos locos Homeri, poētae epici Graeci, Vergilius, epicus Latinorum poēta, imitatus est. 20. Tempore messis agricolae a mane ad vesperum summa contentione laborant.

2

Изузеци у деклинацији

1. Alexander Darii matrem et uxorem et filium cum duabus filiabus cepit. 2. Titus Pomponius Atticus non minus bonus pater familias quam civis fuit. 3. Cicero, qui rem publicam Romanorum ab interitu servavit in senatu dixit: Te, Luci Sergi Catilina, omnes boni cives metunt. 4. Imitāre, fili carissime, exempla fortium virorum. 5. Primus in mense dies dicebatur Kalendae; Nonae erant dies vel quintus vel septimus, Idus vel tertius decimus vel quintus decimus. 6. Filiis et filiabus Niobes Apollo et Diana necem paraverunt. 7. Apud Romanos patres familias ius vitae necisque in liberos exercebant.

3

1. Боговима и богињама грчким били су посвећени многи храмови. 2. Иде су биле посвећене Јупитеру, Календе Јунони. 3. Противу смрти немамо оружја. 4. Гај Јулије Цезар становао је у скромној кући. 5. Тит Помпоније Атик имао је велико мноштво књига. 6. Ксеркс је напао Грке са великом војском.

4

Грчка деклинација

1. Aristotēles rhetoricam, poētīcam, dialectīcam, physīcam diligenter tractavit. 3. Aeneas Anchisen patrem ex flammis Troiae servavit. 4. Miltiades ingentem Persarum exercitum apud Marathōna vicit. 5. Anagnostae dicti sunt servi, quos eruditi homines antiquis temporibus habebant, ut legērent doctorum hominum poēmāta. 6. Quattuor Georgicon libros scripsit Vergilius in honorem Maecenatis.

5

Придеви

1. Frugi hominem et modestum omnes diligunt. 2. Catilina hominum nequam et improborum familiaritates appetebat. 3. Soli homini ex omnibus animantium generibus ratio data est. 4. Nullius hominis vita vacua est laboribus. 5. Romani

aetate Augusti domini erant totius orbis terrarum. 6. Hannibal et Alexander praeclari imperatores fuerunt: utri maior laus bellica debetur? 7. Virtus amatur ab homine rationis particeps, contemnitur ab homine rationis experti. 8. Vobis, more supplicum, manus tendimus, subvenite nobis miseris. 9. Quot digitos habemus in manibus, totidem habemus etiam in pedibus. 10. Cupio in tot tantisque reipublicae periculis me non dissolutum videri.

6

Неправилно поређење

1. Cato optimus paterfamilias, parcissimus, modestissimus, frugalissimus fuit. 2. Luna terrae propior est quam terra soli. 3. Extremum oppidum Allobrogi proximumque Helvetiorum finibus est Genava. 4. Summa saepe ingenia in occulto latent. 5. Homines nequissimi et improbissimi Catilinae socii erant. 6. Superiores rami arborum graciliores et tenuiores sunt quam inferiores. 7. In exercitu Graecorum, qui Troiam obsidebat, nemo maledicentior fuit quam Thersites, miles ignavissimus. 8. Maximum donum dei est mens sana in corpore sano. 9. Hostes loco maxime idoneo castra fecerunt, ex quibus cotidie vehementissimos impetus in urbem faciebant. 10. Homo pessimus erat Catilina, qui ipsi urbi, in qua natus erat omnibusque bonis civibus interitum parare constituit. 11. Demaratus Lacedaemonius ab homine pessimo interrogatus, quis optimus esset Lacedaemoniorum: „Ille, cuius mores, inquit, tuis dissimilimi sunt“. 12. Homines infimo loco nati industria saepe summos honorum gradus assecuti sunt. 13. Omnium bonorum maximum est civibus libertas, malorum pessimum est servitus. 14. Ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene beateque vivendum, satisne est praesidii in virtute? Certe satis.

7

1. Римљани су поделили Хиспанију у онострану и ононострану. 2. Ксеркс је био први у бекству, увек последњи у боју. 3. Честит човек чини све право. 4. Памћење је бесед-

нику јако потребно. 5. Најгоре је оно што је најбољему најмање слично. 6. Гвожђе је корисније и потребније од злата и сребра.

8

Бројеви

1. Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem praefecit. 2. Caesar trina castra Gallorum vi expugnavit. 3. Marcus Marcellus quinquies consul fuit, Gaius Marius septies. 4. Curius Dentatus quaterna dena agri iugera viritim populo divisit. 5. Sexies octona sunt duodequingenta. 6. Archimedes testamento amicis quina talenta legaverat. 7. Erat inter bina castra campus circiter milium passuum sex. 8. Inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis milibus passuum cotidie intererat. 9. Semel in anno licet insanire. 10. Athenienses et Romani initio reges habebant; postea Athenienses quotannis novenos archontes et Romani binos consules creabant. 11. Alexander Magnus tribus annis Persas ter devicit: primum ad Granicum flumen, iterum ad Issum, tertium ad Gaugamela. 12. Veteres Romani condemnabant furem dupli, feneratorem quadrupli. 13. Helvetii una ex parte continentur flumine Rheno, altera ex parte monte Iura, tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano.

9

Заменице

1. Hamilcar imperator Hannibalem filium secum in Hispaniam duxerat. 2. Carior est patria nobis quam nosmet ipsi. 3. Quid est dulcius quam habere quicum omnia audeam sic loqui ut tecum? 4. Equis est perfecte sapiens? 5. Hannibalem sui cives e civitate eiecerunt. 6. Pulchram rem tibi narrabo et eam singularem. 7. Antonius doctus idemque minime ambitiosus est. 8. Caesar quaesivit, cur de sua virtute aut de ipsius sollertia desperarent. 9. Tyrannus neque amat quemquam neque ipse ab ullo amatur. 10. Nocet sua cuique stultitia. 11. Grattissima semper erit nobis memoria nostri tua. 12. Durate et

vosmet rebus servate secundis. 13. Huiusce rei potestas omnis in vobis sita est, iudices. 14. Vir sapiens non tum hoc, tum illud, sed semper idem dicere solet. 15. Felix (ille), quem reddunt aliena pericula cautum. 16. Plinius scribit: „Nunc pueri statim omnia sciunt, neminem verentur, imitantur neminem et sibi ipsi exempla sunt. 17. Belgae finitimi sunt Germanis, quibuscum continenter bellum gerunt. 18. Quascumque controversias inter se milites habent, sua sponte ad Caesarem veniunt. 19. Nulla respublica, quantacumque est, stare potest, nisi bonis continetur legibus. 20. Eādem nocte, qua Alexander Magnus natus est, templum Dianae Ephesiae deflagravit. 21. Vir doctus Epictetum philosophum interrogavit: „Quis est dives?“ Tum ille: „Is“ inquit „dives est, cui satis id est, quod habet“.

10

Конструкција имена градова

1. Bibulus certior factus est Corcyrae de adventu regis. 2. Cicero adulescens Romā Rhodum profectus est et ibi Molonem, clarissimum eloquentiae magistrum, audivit. 3. Cimon domi militiaeque magnam gloriam sibi comparavit. 4. Legati Atheniensium Delphos profecti sunt, ut Apollinem consulērent. 5. Diebus festis multitudo hominum rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolat. 6. Demaratus fugit Tarquinius Corinθο. 7. Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Cares in Sigeo. 8. Neapoli, in celeberrimo oppido etiam senatores cum mitella saepe vidimus. 9. Nihil domi, nihil militiae per magistratus geritur sine augurum auctoritate. 10. Multi Hannibalem in castris humi iacentem conspexerunt. 11. Xerxes terra marique bellum intulit Graeciae. 12. Senatus habetur in Urbe. 13. Hannibal Carthagine in Hispaniam profectus est cum Hamilcare patre. 14. Ubi fuisti quattuor dies continuos? — Domi mansi, nam febri laboravi. 15. Mons Vesuvius, cuius igni duae urbes, Pompeii et Herculenum, anno undeoctogesimo post Christum natum deletae sunt, apud Neapolim, urbem Campaniae, situs est.

Verba anomala

1. I, quo tua te virtus vocat. 2. Non omnia veniunt, quae ad mercatum veniunt. 3. Quid fiat, factum futurumque sit, deus unus scit. 4. Alexander tertio et trigesimo aetatis anno mortem obiit. 5. In rebus magnis et voluisse satis est. 6. Fortuna opes auferre, non animum potest. 7. Themistocles interrogatus, utrum Achilles esse mallet an Homerus, respondit: „Dic ipse prius, utrum malis esse victor ludorum Olympicorum, an praeco qui victores pronuntiat? 8. Fortuna multos homines ignobiles extulit ad summos honores. 9. Demosthenes interrogatus quo modo orator factus esset, respondit: „Plus olei quam vini consumpsi. 10. Aristippus, cum servus in itinere pecuniam ferens onere premeretur: „Abice, inquit, quod nimium est, et fer, quod ferre potes. 11. Amicitiae est vis in eo ut unus quasi animus ex pluribus fiat. 12. Quod factum est, infectum fieri nequit. 13. Suebi a pueris nulla disciplina aut nullo officio assuefacti, nihil omnino contra voluntatem facere solebant. 14. Iniuria fit duobus modis, aut vi aut fraude. 15. Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. 16. Imperator quidam legatis suis dicere solebat: „Quod fieri quit, iam factum est, quod fieri nequit, faciendum est.“

Verba defectiva

1. Themistocles, cum ei Simonides artem memoriae polliceretur: „Oblivionis“, inquit, „mallem, nam meminisse etiam quae nolo, oblivisci non possum quae volo“. 2. Vale, mi Tiro, vale et salve. 3. Cato mirari se¹ aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. 4. Ignoscas, quaeso, si quid stulte dixi atque imprudenter tibi. 5. Qui bene coepit, dimidium facti habet. 6. Titus Pomponius Atticus immortalis memoriae percepta retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat qui acceperat. 7. Incipe, dimidium facti est coepisse. Superest dimidium, rursus hoc incipe et effi-

¹ да се он.

cies. 8. Aequam memento rebus in arduis servare mentem. 9. Thales, unus ex septem sapientibus, percontanti cuidam, quid esset difficile: „Se ipsum, inquit, nosse“. 10. Beneficia debet meminisse is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.

13

Verba impersonalia

1. Multos homines infamiae suae neque pudet neque taedet. 2. Neminem vestrum praetērit usum esse optimum dicendi magistrum. 3. Caesar dicere solebat, non tam sua quam rei publicae interesse, ut valeret. 4. Id facere oportet quod decet, non quod libet. 5. Agite, pueri, surgite, illucescit. 6. Numquam me poenitebit maxima pericula pro patria subire. 7. Gemīnat peccatum quem delicti non pudet. 8. Ex malis minima eligere oportet. 9. Hieme ningit, tonat, pluit, grandinat, fulgurat. 10. Attente considerate, quid deceat, quid dedeceat discipulos diligentes. 11. Praestat accipere quam facere iniuriam.

14

1. Корнелије Сула први је ушао у град Рим наоружан. 2. Људи имају по тридесет и два зуба. 3. Цезар, Помпеј и Кресо закључише савез, да римску државу међу собом поделе. 4. Немојте штети оно што не може бити. 5. Лакше се подноси што се стрпљиво подноси. 6. Талес запитан, шта је тешко, рече: „Себе самога познати“. 7. Сократ је презрео непријатељство и претње злих људи. 8. Овој страна Хиспанија мања је од оностране.

15

Коњуктив у независним реченицама

(Coniunctivus optativus) 1. Peream nisi verum dixi. 2. Utinam ad senectutem perveniatis. 3. Hoc dii bene vertant. 4. Valeant, valeant cives mei, sint incolūmes, sint florentes, sint beati. 5. Utinam Catilina omnes secum suas copias eduxisset! 6. O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos.

(Coniunctivus potentialis) 1. Romani maesti, credēres victos, rediērunt in castra. 2. Catilina utrum pecuniae an famae minus parcēret, haud facile discernēres. 3. Avaro quid mali optes (optares), nisi ut vivat diu? 4. Hoc sine ulla dubitatione confirmem, eloquentiam esse rem omnium difficillimam. 5. Thucydīdis orationes ego laudare soleo, imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim.

(Coniunctivus dubitativus) 1. Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoriā? 2. Quid agam, iudices? quo accusatio-
nis meae rationem confēram? quo me vertam? 3. Quo me ver-
tam? quid faciam?

(Coniunctivus exortativus et imperativus) 1. Amemus patriam, pareamus legibus. 2. Secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur. 3. Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. 4. In omnibus rebus prudenter agas. 5. Si qui voluptatibus ducuntur, ne attingant rempublicam. 6. Cave Catoni anteponas Socratem; huius enim facta, illius dicta laudantur.

(Coniunctivus concessivus) 1. Sint haec falsa sane: invidiosa certe non sunt. 2. Ut non sit hoc pulchrum: utile quidem est. 3. Licet irrideat, si quis vult, plus apud me tamen vera ratio valebit quam vulgi opinio. 4. Ne sint in senectute vires; ne postulantur quidem vires a senectute.

16

1. Камо среће да је Катилина повео са собом све своје чете. 2. У свему ради разборито. 3. Волимо отаџбину, она је наша мајка! 4. Зашто да не браним пријатеље?

17

Consecutio temporum

1. Divitiacus persuadet Castīco, ut regnum in civitate sua occuparet. 2. Vercingetōrix Gallos hortatur, ut communis libertatis causa arma capiant. 3. Haec facis ignorans quae futura sint. 4. Athenienses misērunt Delphos consultum, quidnam facērent de rebus suis. 5. Helvetii, cum ad pedes Caesaris se

proiecissent suppliciterque locuti flentes pacem petissent, paruerunt. 6. Socrates dicebat omnes, in eo quod scirent, satis esse eloquentes. 7. O di immortales, non intellēgunt homines quam magnum vectīgal sit parsimonia. 8. Oportet legem esse brevem, quo facilius ab imperītis teneatur. 9. Aristippus philosophus interrogatus, qua re docti indoctis praestarent: „Eādem, inquit, qua domīti equi indomītis. 10. Socrātes cum audivisset hominem quendam male de ipso loqui: „Non mirum, inquit, non didīcit bene loqui“. 11. Caesar, homo clementissimus, tamen a Romanis interfectus est, cum tyrannīdem appetere videretur. 12. Orgetōrix Helvetios, ut cum omnibus copiis de finibus suis exirent, hortatus est. 13. Caesar ad Ariovistum legatos misit qui ab eo postularent ut aliquem locum medium utriusque ad colloquium deligeret. 14. Caesar apud urbem Dyrrachium Pompei adventum oppertus est, ut eum adoriretur. 15. Alexander, regis Philippi filius, ubi a magistro accepit quam innumerabiles mundi essent: „Heu me misērum, exclamavit, qui ne uno quidem adhuc potitus sim.“

18

Зависне реченице

(Финалне) 1. Post proelium Marathonium Athenienses septuaginta navium classem Miltiādi dederunt, ut insulas, quae barbaros adiuvērant, bello persequeretur. 2. Timeo ne frustra laborem susceperis. 3. Timeo ut impētrem. 4. In funeribus a Solone sublata est celebrītas virorum ac muliērū, quo lamentatio minueretur. 5. Ager non semel aratur, sed novatur et iteratur, quo meliores fetus possit et grandiores edēre. 6. Apud Romanos lege sanctum erat, ut caput eius, qui tribunis plebis nocuisset, diis voveretur. 7. Legati Aeduorum, quos Ariovistus, rex Helvetiorum, bello persecutus erat, Caesarem rogaverunt, ut iniurias ulcisceretur, quibus Ariovistus socios populi Romani persecutus esset. 8. Ante pugnam ad Zamam commissam Hannibal hortatus est suos milites ut pristinae virtutis recordarentur neve mulierum, senum, puerorum obliviscerentur. 9. Confer et ad Manlium, Catilina, ut a me non eiectus ad alienos,

sed invitatus ad tuos videaris. 10. Ariovistus verebatur ne per insidias a Caesare circumveniretur. 11. Adulatores, si quem laudant, vereri se dicunt ut illius facta verbis consēqui possint. 12. Accepi tuas litteras, ex quibus intellexi te vereri ne superiores litterae mihi redditae non essent.

(Консекүтивне) 1. Socratis responso iudices ita exarsunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnāvērunt. 2. Tam multa cadavēra hostium in loco pugnae iacebant, ut milites Romani in ipsis cadaveribus pugnarent. 3. Tantum abest ut haec faciam, ut etiam mortem praefēram. 4. Suspicio non abest quin veneno absumptus sit. 5. Non deterret sapientem mors, quomīnus in omne tempus reipublicae suisque consūlat. 6. Ita vixi, ut non frustra me natum existīmem. 7. Quis est tam demens ut sua voluntate maereat? 8. Magna vis est conscientiae, ut semper timeant qui peccārint. 9. Est mos homīnum, ut nolint eundem plurībus rebus excellere. 10. Vetus est illa lex verae amicitiae, ut idem amici semper velint. 11. Quae tam firma civitas fuit, quae non odiis funditus posset everti? 12. Verres Siciliam per triennium ita vastavit, vexavit ac perdīdit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit. 13. Epaminondas erat adeo veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur. 14. Nemo tam humilis erat, cui ad Miltiadem adītus non patēret. 15. Aristides in tanta paupertate decessit, ut vix reliquerit, quo efferi possit. 16. Non dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poētae. 17. Aetas non impedit, quomīnus litterarum studia teneamus ad ultimum tempus senectutis.

(Темпоралне) 1. Iam ver appetebat, cum Hannibal ex hiernis movit. 2. Ubi de Caesaris adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum miserunt. 3. Caesar, priusquam se hostes e terrore ac fuga recipērent, in fines Suessionum exercitum duxit. 4. Verres, simul ac tetīgit provinciam, maximae avaritiae totum se tradidit. 5. Alexander, cum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit. 6. Dum haec in colloquio geruntur, Caesari nuntiatum est equītes Ariovisti propius accedere. 7. Horatius Cocles impetum hostium sustinuit, quoad ceteri pontem interrumpērent. 8. Antēquam de praeceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipsius

artis. 9. Epaminondas non prius bellare destitit, quam urbem Lacedaemoniorum obsidione clausit. 10. Aristides sexto fere anno postquam expulsus erat, in patriam restitutus est. 11. Ubi Caesar rem esse in angusto vidit, in primam aciem processit. 12. Romani cum in luctu erant, albam togam exuebant. 13. Anno trecentesimo altero postquam Roma condita erat, iterum mutata est forma civitatis. 14. Pompeius, ut Brundisio discessit, undequinquagesimo die totam ad imperium Romanum Ciliciam adiunxit. 15. Augustus postquam ad Actium devicit Antonium, summum imperium Romae adeptus est. 16. Diogenes, philosophus cynicus, cum venisset Myndum, quae urbs admodum parva erat, sed magnis atque magnificis portis ornata, exclamavit: „Cives Myndii, portas claudite, ne urbs vestra egrediatur.“ 17. Solonis praeceptum est: Nolite imperare, antequam didiceritis oboedire.

(Каузалне) 1. Themistocles a patre exheredatus est, quod et liberius vivebat et rem familiarem neglegebat. 2. Socrates accusatus est, quod corrumpere iuventutem. 3. Cum vita sine amicitia insidiarum et metus plena sit, ratio nos monet, ut amicitias comparemus. 4. Quid est quod de Archiae civitate dubitetis praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit ascriptus? 5. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverit, necari iussit. 6. Quoniam iam nox est, in vestra tecta discedite.

(Кондиционале) 1. Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio. 2. Publius Cornelius Scipio in pugna ad Ticinum in manus hostium venisset, nisi patrem filius protexisset et ab ipsa morte rapuisset. 3. Nemo saltat sobrius, nisi forte insanit. 4. Sapiens non dubitat, si ita sit melius, migrare e vita. 5. Consilium nisi esset in senibus, non summum concilium maiores nostri appellarent senatum. 6. Respublica poterat esse perpetua, si patriis viveretur moribus. 7. Pons Sublicius iter paene hostibus dedit, nisi unus vir fuisset, Horatius Cocles. 8. Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi.

(Концесивне) 1. Datis, etsi non aequam locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum configere cupivit. 2. Licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.

3. Phocion fuit perpetuo pauper, cum ditissimus esse posset. 4. Demosthenes, clarissimus Graecorum orator, quamquam initio natura impediabatur dicere, ingenti assiduitate omnia impedimenta superavit. 5. Themistocles, quamvis de republica meritus esset, tamen non effūgit civium suorum invidiam. 6. In magnis rebus etiam voluisse satis est, nam, ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. 7. Caesar Caligula cum probe sciret se omnibus civibus esse exōsum, dicere solebat: „Odērint dum metuant.

(Компаративне) 1. Caesar maturius quam consuerat ad exercitum proficiscitur. 2. Quid ego his testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? 3. Omnia contraria dixisti ac venerunt. 4. Sequāni absentis Ariovisti crudelitatem velut si coram adesset, horrebant. 5. Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, tanto crebriores litterae nuntiique ad Caesarem mittebantur. 6. Ea tibi negotia non secus commendo, ac si mea essent.

(Релативне) 1. Caesar illas legiones, quas in Gallia conscripserat, ad exercitum misit. 2. Nemo est orator, qui se Demostheni similem esse nolit. 3. Multa perpersus est Ulixes, sed numquam oblitus est patriae, unde erat profectus. 4. Caesar Divitiaco ostendit, quae in consilio Gallorum separātim quisque apud se dixerit. 5. Helvetii auctoritate Orgetorigis permoti constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, comparare. 6. Caesar Helvetios in fines suos, unde erant profecti, reverti iussit. 7. Caesar equitatum omnem mittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant.

(Упитне) 1. Numquis Demostheni par fuit eloquentiā? 2. Quis nescit quanto in honore apud Graecos musica fuērit? 3. Nonne ipsam domum metues? non parietes conscios, non noctem illam funestam perhorresces? 4. Utrum beatus est sapiens an miser? 5. Antisthenes interrogatus quaenam esset disciplina maxime necessaria: „Mala“, inquit, „dediscere“. 6. Quaeritur ex duobus uter sit dignior, ex pluribus quis dignissimus. 7. Quid est, Catilina, quod te iam in hac urbe delectari possit?

19

1. Често сам у себи размишљао, да ли је речитост донела људима више добра или зла. 2. Хелвећани су у тој намери напустили своје куће, да заратују на целу Галију и да задобију власт. 3. Аристид је умро у толиком сиромаштву, да је једва оставио чиме да се сахрани. 4. Чим непријатељи угледаше наше коњанике, брзо их нападоше. 5. Сократ се је тако бранио пред судом, да није изгледао кривац већ учитељ или господар судија. 6. Римљани су одвели Цинцината од плуга да буде диктатор.

20

Инфинитиви

1. Docto homini et erudito vivere est cogitare. 2. Consullem fieri summus honor habebatur. 3. Cotidie Caesar Aeduos frumentum flagitare; diem ex die ducere Aedui; conferri, comportari, adesse dicere. 4. Constat Aristidem interfuisse proelio Salaminio. 5. Galli totius Galliae imperio se potituros esse sperant. 6. Cuiusvis hominis est errare; nullius nisi insipientis in errore perseverare. 7. Et monere et moneri proprium est verae amicitiae. 8. Bonum est discere, didicisse multo melius est. 9. Ad Themistoclem quidam doctus homo accessisse dicitur eique artem memoriae pollicitum esse se traditurum. Cum ille quaesisset quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset. Et ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quam si meminisse docuisset.

21

Акузатив с инфинитивом

1. Tradunt Homerum caecum fuisse. 2. Illud intellego, Quirites, omnium ora in me esse conversa. 3. Caesar iussit milites castra movere. 4. Socrates dicere solitus est cibi condimentum esse famem, potionis sitim. 5. Caesar pontem iubet rescindi. 6. Germani vinum ad se importari omnino non si-

nunt. 7. Narrationem oportet tres habere res, ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. 8. Cicero intellegebat coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse. 9. Tu es bonus: Omnes dicunt te esse bonum. 10. Pater mihi veniam dabit: Spero patrem mihi veniam daturum (esse). 11. Darius, Persarum rex, apud Issum flumen ab Alexandro Magno, Macedonum rege, superatus est. Rerum scriptores affirmant Darium, Persarum regem, apud Issum flumen ab Alexandro Magno, Macedonum rege, superatum esse. 12. Nemo vestrum ignorat, ut puto, bellum illud gravissimum, quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione per quattuor et viginti annos gesserunt, a Thucydide rerum scriptore, descriptum esse. 13. Rex Dareus sepulcrum reginae Semiramidis aperuit, sperans se ibi magnam vim auri reperturum esse. 14. Dicunt Demosthenem summo studio et summo labore multa et gravissima naturae impedimenta vicisse. 15. Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos.

22

Номинатив с инфинитивом

1. Romulus Amulium regem interemisse fertur. 2. Lectitavisse Platonem studiose Demosthenes dicitur. 3. Milites pontem facere iussi sunt. 4. Nolani muros portasque adire vetiti sunt. 5. Sulla in petendo consulatu cupidior quam ceteri fuisse iudicatur. 6. Homerus caecus fuisse dicitur. 7. Luna solis lumine collustrari putatur. 8. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. 9. Pisistratus primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

23

Партиципи. Аблатив апсолутии

1. Cicero Clodii insidias timens ex Italia cessit. 2. Caesar militum virtute confisus celeriter hostium castra adortus est. 3. Troiani nihil doli suspicantes equum in urbem traxerunt et, diutino labore fessi, quieti se dedērunt. 4. Alexandrum mortuum omnes barbarae gentes non ut hostem, sed ut parentem luxerunt. 5. Dux, devictis hostibus, in Italiam rediit. 6. Romani,

regibus expulsis, consules creaverunt. 7. Natus est Augustus M. Tullio Cicerone C. Antonio Hybrida consulibus. 8. Rerum scriptores consentiunt bellum Gallicum C. Caesare imperatore gestum esse. 9. Plato uno et octogesimo anno scribens mortuus est. 10. Prata virentia et arbores florentes veris adventum nuntiant. 11. Aves dormiturae caput sub ala abscondunt. 12. Iugurtha, vinctus catenis ferreis, Romam ductus est. 13. Exercitus Caesaris, flumen transgressus, proelium commisit. 14. Ad rivum eundem lupus et agnus venerant siti compulsi. 15. Hostes appropinquant vastaturi agros. 16. Themistocles, e civitate eiectus, Argos habitatum concessit. 17. Milites, destrictis gladiis, impetum fecerunt. 18. Xerxes, Persarum rex, Thermopylis expugnatis, ad urbem Athenas accessit et eam, interfectis sacerdotibus, incendio delevit. 19. Cornelius Scipio, Hannibale ad Zamam devicto, rempublicam maximis periculis liberavit. 20. Ave, Caesar, morituri te salutant. 21. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha rege Numidarum gessit.

24

Герундиј и герундив. Супин

1. Ubii purgandi sui causa ad Caesarem legatos miserunt. 2. Socrates totam vitam atque aetatem contrivit in emendandis hominum moribus. 3. Conon muros Athenarum dirutos a Lysandro reficiendos curavit. 4. Cleopatra sui conservandi causa aufugit. 5. Caesar proficiscitur in Galliam ad conventus agendos. 6. Quod optimum factu videbitur, facies. 7. Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae legati ad Caesarem gratulatum convenerunt. 8. Aedui, cum se suaque defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium. 9. Orandum est ut sit mens sana in corpore sano. 10. Puer magistro erudiendus traditur. 11. Moriendum certe est, sed id incertum, an hoc ipso die. 12. Perfugam Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum. 13. Urbs ab imperatore diripienda data est. 14. In primis videndum erit ei qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat. 15. Natando et equitando iuvenes corpora firmant. 16. Legati sociorum adventabant auxilium

postulatum. 17. Dormiendo vires corporis reficiuntur. 18. Athenienses legatos miserunt consultum Apollinem. 19. Titus et Aruns, filii Tarquinii Superbi, Delphos missi sunt ad oraculum Apollinis consulendum. 20. Ars vera et falsa diiudicandi difficilima est. 21. Servus, ad occidendum Caium Marium missus, tanti viri maiestate perterritus recessit. 22. Tria videnda sunt oratori: quid dicat et quo quidque loco et quo modo. 23. Nefas est dictu miseram fuisse Fabii senectutem. 24. Oratio brevis erit, si non longius quam quod scitu est, in narrando proceditur.

25

1. Срамота је једно говорити, друго осећати. 2. Причају да је Цицерон био велики противник Катилинин. 3. Бојећи се да непријатељ не побегне Цезар је заповедио да два легиона стражаре у логору. 4. Цинцинату, док је орао, би јављено да је изабран за диктатора. 5. Кад је Цезар освојио непријатељски логор, докопао се великог плена. 6. Едуанци су послали Цезару посланике, да би се оправдали. 7. Закон забрањује да се мртваци сахрањују у граду.

26

Пословице

1. Surdo fabulam narras.
2. Ne sutor ultra crepidam.
3. Nomina sunt odiosa.
4. Finis coronat opus.
5. Usus rerum magister.
6. Salus reipublicae suprema lex.
7. Nec Hercules contra duos.
8. Bis dat, qui cito dat.
9. Hodie mihi, cras tibi.
10. Ultra posse nemo tenetur.
11. Iucundi acti labores.
12. Qui tacet, consentire videtur.
13. Gutta cavat lapidem non vi sed saepe cadendo.
14. Sero venientibus ossa.
15. Omne malum nascens facile opprimitur.

II ДЕО

НЕПРЕКИДНО ШТИВО

1. Philippus, rex Macedōnum, iudex inter duos homines malos constitutus alteri, ut e Macedonia fugēret, alteri, ut persequeretur eum, imperavit.

2. Cornelia, mater Gracchorum, qui postea maximam gloriam adepti sunt, aliquando a matrona quadam invitata erat. Haec ei omnes opes suas pulcherrimas ostendit. Deinde cum eādem matrona ad Corneliam venisset, haec eam sermone traxit, quoad e schola reverterentur pueri. Tum: „Haec“, inquit, „meae sunt opes“.

3. Nihil apud Graecos atque imprimis apud Lacedaemonios turpius erat milīti quam e pugna redire sine clipeo. Mulier Lacaena filio, ad bellum proficiscenti, scutum his verbis tradidisse fertur: Aut hoc, aut in hoc.

Грчка и римска митологија

4. Iuppiter, Saturni et Rheae filius, in insula Creta natus et educatus est¹. Cum adolevisset, Saturnum patrem regno expūlit, regnumque cum duobus fratribus ita divisit, ut ipse imperium caeli et terrae, Neptunus maris, Pluto inferorum haberet.

Omnium deorum princeps et summus habitus est, quare divum² pater atque hominum dicitur a poëtis, a Romanis autem Optimus Maximus.

Fingebatur fere³ sedens in solio eburneo, sceptrum sinistra manu, dextra fulmen tenens. Iuxta eum stabat aquila, quae avis ei sacra erat, et Ganymēdes⁴, qui ei pocula ministrabat.

Ex arboribus quercus ei sacra erat.

5. Iuno, Iovis soror et coniux, deorum regina habita est. Argis¹ maxime colebatur. Apud Romanos matrimoniis praeerat.

Fingebatur in solio sedens, habitu regāli, sceptro et diademāte insignis.

Ex avibus pavo ei sacer erat.

Iunonis ministra et nuntia erat Iris².

6. Vesta, Saturni filia. dea erat ignis domestici. Cultus eius fuit antiquissimus¹. Romae primum ei templum² a Numa, altero³ Romanorum rege, exstructum est.

In eo templo ignis perpetuus a virginibus Vestalibus, deae sacerdotibus⁴, alebatur. Gravis poena constituta erat in eam virginem, cuius negligentia ignis esset exstinctus⁵.

7. Mars, belli deus, praecipuo honore a Romanis colebatur. Putabant enim Romulum et Remum, qui urbem Romam condiderunt, Martis filios esse.

Ex eius nomine tertius anni mensis, Martius appellatus est. Martius quoque dictus campus¹, ubi Romana iuventus gymnīcis ludis exercebatur.

Ex animalibus ei sacri erant lupo et equo.

Fingebatur truci vultu, curru vehens², hasta armatus.

Aurigae munere in eius curru fungebatur Bellona³ soror.

8. Mercurius, Iovis et Maiæ filius¹ nuntius erat deorum, imprimis Iovis. Animas mortuorum ad infēros² deducebat.

Idem mercaturae deus habebatur. Lyram quoque et palaestram³ invenisse dicitur.

Fingebatur iuvenis, insignis petāso⁴ et talaribus⁵ alatis, caducēum manu tenens, id est virgam duobus serpentibus circumplicatam.

9. Apollo, qui idem¹ Phoebus dicitur, Iovis et Latonae filius, cum Diana sorore in insula Delo² natus est. Deus fuit medicinae, artis iaculandi, musicae, poësis. Praeterea divinationi praefuit; quare plurima oracula ei sacra fuerunt, quorum nobilissimum est oraculum Delphicum³.

Idem dux erat novem Musarum, quae deae artibus ac literis praeerant, et Calliōpe quidem⁴ epico poëmāti, Clio historiae, Melpomēne tragoediae, Thalia comoediae, Euterpe arti musicae, Terpsichōre choreis, Erāto poësi amatoriae⁵, Polyhymnia lyricis carminibus, Urania astrologiae⁶.

Fingebatur adolescens imberbis, promisso⁷ capillo, dextra arcum et sagittas retinens, sinistra lyram.

Apollini laurus sacra erat, quare etiam poëtae laurea⁸ coronantur.

Ex avibus ei sacer erat corvus et cycnus.

10. Venus, amoris et pulchritudinis dea, ex spuma maris orta esse ferebatur.

Fingitur curru vehens, quem cycni vel columbae trahunt; comitatur eam filius Cupido vel Amor, puer alatus, arcum ac sagittas ferens. Praeterea comites habet tres Gratias¹, venustatis² deas Aglaïen, Thaliam, Euphrosynen.

Apelles³ Venerem pinxit e mari exeuntem, quam picturam nobilissimam Venerem Anadyomënen⁴ vocant.

Ex arboribus myrtus ei sacra erat.

11. Veneris, pulcherrimae omnium dearum, maritus erat Vulcanus, turpissimus¹ omnium deorum, Iovis et Iunonis filius. Is propter deformitatem a Iove de caelo deiectus in insulam Lemnum² delapsus est, quo casu³ claudus factus dicitur. Erat autem deus ignis ac fabrorum ferrariorum; nec in Lemno solum, sed etiam sub Aetna monte⁴ et in Aeoliis insulis⁵ habere officinas dicebatur.

Ministri eius erant Cyclôpes gigantes, unum modo oculum media fronte habentes, qui Iovi fulmina fabricari putabantur.

12. Pluto, Iovis frater, inferorum deus, in Orco¹ habitabat. Fingitur in solio sedens, truci vultu, sceptrum manu retinens.

Plutonis uxor erat Proserpina, Iovis et Cerëris filia. Eam flores in nemore Hennae² legentem³ olim Pluto rapuisse dicitur.

Orci partes erant Tartarus, ubi improbi post mortem poenis afficiebantur, et campi Elysii, sedes piorum.

Iudices umbrarum⁴ tres erant, Minos⁵, Rhadamanthus⁶, Aeäcus⁷.

Ad inferos umbras deducebat Mercurius, deductas excipiebat Charon⁸ et trans Stygem et Acherontem, Orci flumina, transvehebat. Ii, quorum corpora humata non erant, diu ad ripam Stygis vagabantur; quare veteres magnam sepulturae curam habebant.

Ex flumine Lethe manes⁹ oblivionem superioris vitae hauriebant.

Intoitum Orci custodiebat Cerberus, canis triceps.

Malos homines excruciabant apud inferos Furiae vel Eumenides¹⁰; crines serpentibus circumplicatos habebant, manibus faces ardentes praeferabant.

13. Neptunus, Iovis frater, maris imperium obtinebat. Amphitriten uxorem duxit, maris deam, ex qua Tritonem genuit.

Neptuno equus sacer erat.

Agnoscitur imprimis tridente, quem manu tenet. Comitatur eum Triton filius tubicen, concha utens pro tuba.

Multi praeterea erant in mari dii minores multaeque deae, in quibus clarissimae sunt quinquaginta Nereides, Nerei² senis filiae, quarum una, Thetis³, mater Achillis fuit.

14. Ianus summa religione¹ a Romanis colebatur. Praeerat omnibus rerum initiis ac vicissitudinibus, imprimis anni et mensium et dierum.

Mensis Ianuarius, qui annum aperit, a Iano nomen accepit.

Ianus antiquus Italiae rex² fuisse et omnium primus homines ritus sacrorum docuisse putatur.

Fingitur bifrons³, manu altera clavem, altera virgam tenens.

Templum eius belli tempore patebat⁴; cum autem pax facta erat, claudebatur.

15. Фабрицијево поштење

Cum rex Pyrrhus Romanis bellum intulisset, perfuga ab eo venit in castra Fabricii, consulis Romani, eique pollicitus est, si praemium sibi dare vellet, se ad Pyrrhum reditum et eum veneno necaturum esse. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque factum eius a senatu laudatum est.

16. М. Порције Катон

M. Porcius Cato, cum in senatu de bello adversus Carthagienses ageretur, praecōcem ficum ostendes patribus: „Interrogo vos“, inquit „quando hanc ficum demptam esse putetis ex arbore“. Cum omnes recentem esse dicērent: „Atqui ter-

tium“, inquit Cato „ante diem scitote decerptam esse Carthagine; tam prope a muris habemus hostem“. Movit ea res patrum animos, et bellum Carthaginensibus indictum est.

17. М. Сергије

M. Sergius praetor, cum a collegis sacrificiis arceretur, quod debilis erat, hanc fere orationem habuit: „Secundo bello Punico dextram manum amisi atque ter et vices vulneratus sum; bis captivus in custodiam abductus, bis e vinculis evasi; sinistrā manu solā quater pugnaui; postquam pro dextra amissa ferrēam fabricatus sum, eā tam bene rem gessi, ut Cremonam obsidione liberavērim, Placentiam defendērim, duodena hostium castra in Gallia citeriore expugnaērim. Atque haec ego cum gessērim, a vobis ut homo debilis arceor sacrificiis?“

18. Аугусту победнику честитају

Cum Augustus elatus victoriā Actiacā Romam revertisset, inter gratulantes occurrit ei quidam corvum tenens, quem haec dicere docuerat: „Ave Caesar, victor, imperator!“ Miratus Caesar avem magno pretio emit. Paulo post a psittāco similem in modum salutatus hunc quoque emi iussit. Hac re sutor quidam, ut idem corvum docēret, adductus est. Is labore fatigatus avi non respondenti dicere solebat: „Oleum et operam perdidi“. Tandem corvus illud: „Ave Caesar, victor, imperator“ dicere potuit. Sed Augustus, cum praeteriens eum audivisset, se avem empturum esse negavit, quod domi satis talium artificum habēret. Tum vero corvus exclamavit: „Oleum et operam perdidi“. Hac voce Caesar valde delectatus hanc quoque avem maximo pretio emit.

19. Архимед

Cum Syracusas Marcellus cepisset, gravissime edixit, ne quis Archimedi vim faceret. At is, dum oculis in terram defixis formas in pulvere describit, militi Romano, qui praedae causa in domum irrupērat strictoque gladio, quisnam esset, interro-

gabat, propter nimium ardorem studii nihil respondet, nisi hoc: „Noli turbare circulos meos“. Miles igitur ignorans quis esset, interfecit eum.

20. Долазак Енејин у Италију

Troia capta, Aeneas, Anchisae et Veneris filius, domo profūgus multis cum sociis in Italiam venit classemque prope ostia Tiberis appūlit. Ibi egressi Troiani cum praedam ex agris agerēnt (nihil enim illis a diuturno errore praeter arma ac naves superērat), Latinus rex Aboriginesque, qui ea loca incolebant, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque ex agris concurrunt. Proelio victus Latinus pacem cum Aenea fecit, eique Laviniam filiam in matrimonium dedit. Deinde Aeneas urbem in iis locis condidit, quam ab nomine uxoris Lavinium appellavit.

Post Aeneae mortem Ascanius, Aeneae filius, regnum accepit. Hic sedem regni in alium locum transtūlit, urbemque condidit in monte Albano, quam Albam Longam nominavit. Eius posterī omnes usque ad Romam conditam Albae regnaverunt.

21. Рођење Ромула и Рема

Proca, rex Albanorum, duos filios reliquit, quorum natu maior Numitor, minor Amulius appellabatur. Numitor patri successit; sed non multo post Amulius, pulso fratre, regnavit. Addidit sceleri scelus: Numitoris enim fratris filium interēmit, filiae Rheae Silviae, cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem subolis ademit. Sed res aliter ac speraverat Amulius, evēnit. Rhea Silvia enim geminos pueros, Romulum et Remum, peperit: Martem deum incertae stirpis patrem nuncupavit. Hoc cum Amulius comperisset, matrem in vincula coniecit, pueros in Tiberim abiici iussit. Cum vero Tiberis super ripas effusus esset nec adiri usquam posset, illi, quibus imperatum erat ut pueros demergērent hos in sicco exposuerunt. Eorum vagitu audito lupa accurrit eosque uberibus suis aluit. Quod cum Faustulus pastor vidisset, pueros sustūlit et uxori Accae

Laurentiae nutriendos dedit. Sic Romulus et Remus pueritiam inter pastores transegerunt. Cum autem adolevissent et forte comperissent, quis ipsorum avus, quae mater esset, Amulium interfecerunt; Numitorem avum in regnum restituerunt. Deinde Romulus urbem condidit in monte Palatino, quam ex nomine suo Romam vocavit.

22. Отмица Сабинки. Борбе између Римљана и Сабинаца. Ромулова смрт

Romulus, ut civium numerum augetet, asylum¹ aperuit, quo ingens hominum multitudo ex omnibus locis confluit. Sed novae urbis civibus mulieres deerant. Quas cum frustra per legatos a propinquis civitatibus petiisset, ludos sollemnes instituit, ad quos spectandos populos finitimos invitavit. Eo cum multi alii², tum Sabinorum omnis multitudo cum liberis et coniugibus convenerunt. Ubi spectaculi tempus venit, signo dato, Romani iuvenes magnam spectantium virginum partem rapuerunt. Sabini, ut iniuriam ulciscerentur, Romanis bellum intulerunt. Cum iam atrocissimum proelium committeretur, raptae mulieres in medium processerunt³, atque hinc patres hinc maritos orantes pacem inter eos conciliarunt⁴. Itaque armis positis Sabini in civitatem recepti sunt.

Postea Romulus rempublicam ordinavit; centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia ageret, quos ex auctoritate Patres, ob aetatem Senatum⁵ nominavit. Tres populi tribus, tres equitum centurias, Ramnenses, Titienses, Luceres, instituit, triginta curias.

His rebus institutis, cum in Campo ad Caprae paludem⁶ exercitum recenseret⁷, orta subito tempestate⁸, nusquam comparuit. Quo facto in caelum raptus atque inter deos relatus esse putatus est.

23. Нума Помпилије

Mortuo Romulo, cum per unum annum patres civitatem administravissent, Numa Pompilius, Curibus in agro Sabinorum natus, vir iustitia ac religione insignis, rex creatus est. Hic ani-

mos hominum ardentes consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit. Aedem Vestae fecit; flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem, Salios, Martis sacerdotes, duodecim instituit. Pontifices e patrum numero legit, atque omnibus publicus et privatis sacris praefecit. Iano templum dicavit, quo aperto bellum, clauso pax indicaretur. Annum a Romulo in decem menses distributum ad cursum lunae in duodecim menses descripsit, additis mensibus Ianuario et Februario. Leges quoque multas et utiles tulit, quas ut deorum religione consecraret, sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse eiusque se monitu, quae diis acceptissima essent, facere simulavit.

Cum tres et quadraginta annos summa in pace concordiaque regnavisset, e vita excessit.

24. Туло Хостилије. Борба Хорација и Куријација

Mortuo Numa Pompilio, ad interregnum¹ res rediit². Postea rex creatus est Tullus Hostilius, cuius avus se in bello adversus Sabinos fortem et strenuum virum praestiterat. Hic rex Romulo similior quam Numae bellum Albanis indixit.

Erant in utrōque exercitu trigemini fratres³ nec aetate nec viribus dispāres; Horatii et Curiatii nominabantur, illi Romani, hi Albani. Horum certamine placuit ducibus totius belli fortunam diiudicari⁴, hac lege⁵, ut cuius populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo imperaret. Itaque trigemini, sicut convenerat⁶, arma capiunt. Datur signum. Primo statim concursu duo Romanorum ceciderunt, tres Albani vulnerati sunt. Tum unus, qui supererat, Romanus, quia tribus impar esset⁷, fugam simulavit; singulos per intervalla⁸ insequentes obtruncavit. Sic unius viri manu parta victoria Romanis est.

Deinde exercitus domos abducti sunt. Princeps ibat Horatius trigemina spolia prae se ferens; cui soror virgo, quae uni ex Curiatiis desponsa fuerat, obvia fuit. Haec, cognito super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movet ferocem iuvenis animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico: stricto⁹ igitur gladio trans-

figit puellam. Ob hoc facinus duumvirum¹⁰ iudicio damnatus ad populum provocavit¹¹, qui patris lacrimis ipsiusque virtute commotus eum absolvit.

Neque tamen diu pax Albana mansit. Nam Mettius Fufetius, Albanorum dictator, cum se invisum civibus videret propterea quod tribus militibus fortuna publica commissa esset, ut popularium animos reconciliaret¹² Veientes¹³ et Fidenates¹⁴ adversus Romanos excitavit. Quos Tullus cum consilio non minus quam virtute devicisset, Mettium auctorem belli ad duas alligatum quadrigas discerpi iussit; Albam diruit, cives Roman traduxit. Montem Caelium urbi adiunxit; principes Albanorum in patres legit; Curiam Hostiliam¹⁵ aedificavit.

Fulmine ictus periit, cum duos et triginta regnavisset annos.

25. Анко Марције

Post Tullum Hostilium rex a populo constitutus est Ancus Marcius, Numae Pompilii ex filia nepos¹, aequitate et religione avo similis. Latinos² bello devicit, multitudinem omnem Romam traduxit. Aventinum et Ianiculum montes urbi adiunxit. Carcerem³ primus aedificavit. Ad Tiberis ostium urbem⁴ condidit colonisque firmavit.

Atque ita, cum quinque et viginti regnavisset annos, est mortuus.

26. Тарквиније Приско

Post Ancum Marcium Lucius Tarquinius Priscus regnum occupavit, Demarati Corinthii filius, qui Cypsēli¹ tyrannidem fugiens in Etruriam venerat. Anco regnante Tarquinius, qui nomen ab urbe Tarquiniis² accepit, Romam commigravit. Advenienti³ aquila pilleum abstulit et cum alte evolasset, rursus reposuit. Qua re Tanaquil⁴ coniux auguriorum perita regnum ei portendi intellexit. Cum Romae commoraretur, sese in Anci regis familiaritatem insinuavit, tantāque apud eum auctoritate valuit, ut publicis ac privatis consiliis belli domique interesset, ac postremo tutor etiam liberis regis testamento instituere-

tur. Mortuo Anco, cunctis populi suffragiis⁵ rex est creatus. Centum patres in curiam legit, qui minorum gentium⁶ sunt appellati. Sabinos ac Latinos bello devicit civitatemque auxit. Aedem in Capitolio Iovis Optimi Maximi⁷ incohavit; cloacam maximam⁸ fecit; Circo, qui Maximus dictus est⁹ locum designavit; ludos Romanos vel Magnos¹⁰ primus fecit.

Cum duodequadraginta regnavisset annos, insidiis liberorum Anci interfectus est.

27. Сервије Тулије

Post L. Tarquinius Priscum Servius Tullius regnavit, quem ex serva Tarquiniensi¹ natum ferunt. Cum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flamma in eius capite visa est. Quo prodigio Tanaquil ei summam dignitatem portendi intellexit, et marito persuasit, ut puerum filii loco haberet ac liberalibus artibus erudiret. Cum adolevisset Servius, rex ei filiam in matrimonium dedit. Postea vero quam rex occisus est, Tanaquil de superiore parte domus populum allocuta est, dicens regem grave quidem sed non letale vulnus accepisse; interim iubere populum Servio Tullio dicto audientem esse³. Sic Servius regnare coepit. Urbem amplificavit; duos colles, Esquilinum et Viminalem, addidit; aggere³ et fossis et muro⁴ urbem circumdedit. Censum⁵ instituit; populum in quinque classes et centum septuaginta centurias ex censu distribuit, quibus exercitus pedester efficeretur; equitum ex primoribus civitatis centurias duodeviginti fecit. Una centuria pauperum vel proletariorum⁶ immunis militia facta est. Idem plebem in triginta tribus, quatuor urbanas, sex et viginti rusticas distribuit.

Occisus est scelere filiae Tulliae et Tarquinii, filii eius regis cui Servius successerat. Nam ab ipso Tarquinio de gradibus curiae deiectus⁷, cum domum se reciperet, ab iis, qui missi a Tarquinio fugientem consecuti erant, interfectus est. Qua re audita, Tullia in forum properavit et prima maritum regem salutavit. Inde cum domum rediret, aurigam super patris corpus in via iacens carpentum agere iussit; ex quo vicus ille sceleratus⁸ est dictus.

28. Тарквиније Охоли

Postremus Romae regnavit Tarquinius Superbus, qui cognomen ex moribus¹ invenit. Hic rex iniustus atque acerbus aliquandiu in rebus gerendis prosp̄ra fortuna usus est². Primus bellum Volscis intulit, et Suessam Pometiam vi cepit. Gabios per Sextum filium in potestatem suam redegit. Templum Iovis, Iunonis Minervaeque a Tarquinio Prisco incohatum ingenti labore perfecit. Sed dum Ardēam, urbem Rutulorum, oppugnat, imperium amisit. Nam cum Sextus, filius eius, Lucretiae, nobilissimae feminae, vim attulisset, haecque ob illam iniuriam sibi ipsa mortem conscivisset, civitas Romana, quae iam diu dominatum regium aegre ferebat, adeo concitata est, ut L. Iunio Bruto auctore et regem ipsum et liberos eius exsilio afficeret³, et imperium regium in perpetuum tolleret.

29. Хорације Коклес

Porsena rex Etruscorum, cum Tarquinius in urbem restituere tentaret et primo impetu Ianiculum cepisset: Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio proelio oculum amiserat) pro ponte Sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interromperetur, cum quo statim in Tibērim decēdit, et armatus ad suos transnavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est quantum uno die circumarari potuisset; statua quoque ei in Vulcanali posita.

30. Муције Сцевола

Cum Porsena rex urbem obsideret, Mucius Cordus, vir Romanae constantiae, senatum adiit et veniam transfugiendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsenae venit ibique purpuratum pro rege deceptus occēdit. Apprehensus et ad regem pertractus, dexteram aris imposuit; hoc supplicii a rea exīgens, quod in caede peccasset. Unde cum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium refērens, ait, trecentos adversus eum similes coniurasse. Qua re ille territus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mutio prata trans Tiberim data, ab eo Mutia appellata; statua quoque ei honoris gratia constituta est.

31. Први конзули

